QK. 181. De Arresto generali a Cancellaria Saxon. Dresdensi impetranda
QK. 181
20
Ve 1939

# ORDINIS JCTORVM
IN
*ACADEMIA VITEMBERGENSI*
H. T.

# DECANVS
# CHRISTOPHORVS HENRICVS DE BERGER

Comes Palatinus Caeſareus et Potentiſſimi
Poloniarum Regis ac Electoris Saxoniae
in Summo Prouocationum Senatu
Conſiliarius itemque
Anteceſſor

X 2313670

*LECTORI BENEVOLO*
S. P. D.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-133286-p0001-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-133286-p0002-5

Tanta eſt Cancellariae Regiae et Electoralis Saxonicae, quae Dreſdae floret, inter alias iudiciarias praerogatiuas, auctoritas ac praeſtantia, ut arreſtum generale, eo caſu, quo bona debitoris ſub diuerſis iuriſdictionibus et iudicibus, qui tamen omnes laudatam Cancellariam ſuperiorem agnoſcunt, ſita ſunt, ab Eadem impetrari poſſit. Quod quidem fit ui quadam ſingulari, tantaque efficacia, ut eiuſmodi arreſtum bona debitoris omnia, feudalia et allodialia, etiam futura, exceptis tantum iis, quae in Epiſcopatibus, Miſenenſi, Martiſburgenſi ac Numburgenſi, debitor poſſidet, et cum effectu quidem prioritatis, ſtatim a tempore impoſiti arreſti, non autem huius demum factae iudicibus inferioribus domicilii, uel immobili-

um immediatis ſignificationis, afficiat, *Ord. Proc. tit.* 51. §. Wann aber in Unſerer Cantzeley ꝛc. Tanto magis ſubit mirari a Benedicto Carpzouio, ſeculi ſuperioris Papiniano, *Part.* 1. *Deciſ.* 64. *n.* 27. et in *Proc. tit.* 21. *art.* 3. *n.* 75. *ſeqq.* itemque *Part.* 1. *Conſt.* 29. *Def.* 23. quem etiam Dnn. Scabini Lipſienſes apud B. Dn. Riuinum ad *O. P. S. tit. LI. Enunciat.* 22. iam olim ſecuti ſunt, et, prout in Supremo Prouocationum Judicio Regio et Electorali Saxonico Dreſdenſi, ex actis Gottfried Reichens in Gottfried Kriegelſteins Concurs nouiſſime, *Term. hybern.* 1721. obſeruare licuit, cum Ordine Juridico Lipſienſi, hodieque ſequuntur, praedictam auctoritatem et praerogatiuam, ſi arreſtum generale in laudata Cancellaria impetratum quidem, haud tamen magiſtratui inferiori indicatum fuerit, quod ad prioritatem arreſti attinet, Inclutae Cancellariae, at ſine lege, denegari. Quam opinionem etiam B. Zieglerus, *Comm. O. P. S. tit.* 51. ad uerba: *notifici*ret werden / cum Suendendörffero ad *Proc. Fibig. pag.* 1192. D. Martini, *Comm. Ord. Proc. tit.* 51. §. 8. Wann aber ꝛc. *n.* 9. *et* 12. D. Barthio, in *Hodeget. Forenſ. pag.* 546. *ſeq.* et aliis, tenet. Neque enim

ob-

obſtant uerba *Ord. Proc. cit. loc. uerſ.* **Und gleichwohl den Unter-Gerichten ꝛc.** quae Carpzouius *alleg. loc.* in primis urget. Namque id quidem certum eſt, Sereniſſimum Legiſlatorem Saxonem *ibidem* uelle et iubere, ut iudices inferiores, ſub quorum iuriſdictionibus debitor arreſtatus domicilium uel bona habet, de arreſto generali, in laudata Curia Principis impoſito, et ab Eadem impetrato, reddantur certiores, ne fortaſſe alii creditores, ex ignorantia, per oppignorationes et obligationes bonorum, aut alios modos, decipiantur. Sed, utrum ex dictis uerbis: **Und gleichwohl den Unter-Gerichten ꝛc.** etiam hoc colligi queat, creditorem alium poſteriorem, qui, ante factam ſignificationem, apud iudicem competentem immediatum arreſtum conſecutus eſt, creditori priori, qui arreſtum generale ab Incluta Cancellaria prius impetrauit, ob neglectum indicii, in concipienda ſententia deſignatoria, praeferendum, atque creditorem priorem ea propter iure prioritatis et praelationis priuandum eſſe, de eo quaeritur. Quae quidem quaeſtio neganda omnino eſt, propterea, quod non ſolum deficit expreſſa legis diſpoſitio, quae, creditorem talem

 in

in re arreſtata anteferendum eſſe, ſi uel maxime alter in laudata Cancellaria Principis eum praeuenerit, dictitat, uerum etiam, circa prioritatem et ius praelationis arreſtantium, tempus impoſitionis, neutiquam uero notificationis, ſpectandum et attendendum eſt, neque illud, quod in fauorem eiuſmodi creditoris conſtitutum fuerat, in eiuſdem odium damnumque detorquendum. Enim uero arreſtantes, priores tempore, potiores ſunt iure, et arreſti ius reale incipit ab ea ipſa hora, qua arreſtum eſt impoſitum, Berlich. *Part.* 1. *Concluſ.* 66. *n.* 2. *et Concluſ.* 69. *n.* 2. *ſeqq.* Carpzou. *P.* 1. *C.* 28. *Def.* 144. Neque congruit ratio, a B. Zieglero *cit. loc.* adducta: *Quia bona mediate ſubiecta non uidentur affici prius, quam ea de re certior factus fuerit iudex immediatus, apud quem alias hypothecam conſtituere oportet. Nec quicquam imputari poteſt creditori, qui arreſto in re certa ab ordinario iudice impetrato contentus, arreſtum generale in Cancellaria petere noluit.* Nam, ceſſante ipſamet legis diſpoſitione, omnis quoque ratio et praeſumtio merito ceſſare debet. Immo, ſi dicendum, quod res eſt, mens ſaepius commemoratorum uerborum: Und gleichwohl den Unter-

Gerich-

Gerichten 2c. ſi modo haec paulo accuratius inſpiciantur et perpendantur, eo potius tendere uidetur: iudices inferiores de arreſto generali, in Cancellaria Electorali impetrato, ideo certiores faciendos eſſe, ne in oppignorationes et obligationes bonorum debitoris arreſtati amplius conſentiant, et, ne alii creditores, ex ignorantia, eiuſmodi oppignorationibus et obligationibus bonorum, aut aliis modis, defraudentur. Quam ob rem permotus Summus Prouocationum Senatus Dreſdenſis, in praedicta cauſſa, priores ſententias Facultatis Lipſienſis, et Scabinorum Lipſienſium, corrigere non dubitauit. Neque tandem piget, ipſamet uerba ſententiae, una cum inſertis a me Protocollo rationibus, hic recitare: In Appellation- auch Gottfried Kriegelſteins Schuld- und Priorität-Sachen / der Anwälde Gottfried Reichens / Appellantens an einem / Theodori, Oertels / Appellaten andern Theils / Erkennen von GOttes Gnaden / Wir Friedrich Auguſtus, König in Pohlen 2c. Hertzog zu Sachſen / Jülich / Cleve / Berg / Engern und Weſtphalen 2c. Chur-Fürſt 2c. vor Recht: Daß

Daß die eingewandte Appellation in ihren Formalien beſtändig / und zu gebührender Rechtfertigung an Uns erwachßen / der Materialien halber / erſcheinet aus denen Acten und derer Partheyen rechtlichen Einbringen ſo viel / daß in erſter Inſtantz übel geſprochen / und wohl appelliret / derowegen Appellantens Principal nicht in der VI. Claſſe und nach Appellatens Principalen / ſondern vor demſelben / und alſobald nach Johann Rockenthienens Poſt mit 8060. Rthlr. Capital und den Intereſſen zubefriedigen / auch / daß er den Arreſt denen Gerichten in Groß-Jehna notificiret / beglaubte Nachricht zu denen Acten zu bringen nicht ſchuldig. V. R. W.

*Rationes Decidendi.*

Es iſt Appellant, Gottfried Reiche / in Gottfried Kriegelſteins Concurs, in dem von der Facultät zu Leipzig Menſ. April. 1718. geſprochenen Deſignation-Urthel fol. 68. ſeqq. derer Concurs-Acten Vol. ſub ⊙ mit ſeiner Forderung

derung an 8060. Rthlr. Capital, nebſt dem Intereſſe morae, beſage des in der Hochlöbl. Landes-Regierung zu Dreßden den 30. April. des Abends um 10. Uhr Anno 1712. angelegten General-Arreſts/ cum appendice: Daß er vor allen Dingen von denen Arreſt-Acten/ und daß er den Arreſt denen Gerichten in Groß-Jehna notificiret/ beglaubte Abſchrifft und Nachricht zu denen Acten zubringen ſchuldig/ in der VIten Claſſe angeſetzet/ und ihme Theodorus Oertel mit 2210. Rthlr. 18. Gr. Capital, ſambt dem Intereſſe morae, vermöge angelegten Arreſts auf des Schuldners in Großen-Jehna liegendes Vermögen vom 1. Maii des Abends um 6. Uhr Anno 1712. in der Location vorgezogen/ auch da Appellant Reiche wieder das Deſignation-Urthel Leuterung eingewendet/ es ſeinetwegen bey vorigem Urthel in dem Schöppen-Stuhl zu Leipzig Menſ. Mart. 1719. fol. 109. ſeq. d. Act. ſub a. gelaſſen

worden/ und eine confirmatoria erfolget. Wieder dieſes letztere Urthel hat gedachter Reiche ſich an dieſes hohe Judicium appellando gewendet/ und iſt vorietzo darüber: Ob der in der Hochlöbl. Landes-Regierung angelegte/ und fol. 2. d. Vol. ſub ☉.. beſcheinigte General-Arreſt zu Recht beſtändig ſey/ oder nicht/ keinesweges die Frage/ auch diesfalls kein Streit/ ſo wohl res iudicata vorhanden/ ſondern es kommt auf den paſſum prioritatis, und auf dieſe Quaeſtion hauptſächlich an: Ob der ſtreitige und in der Hochlöbl. Landes-Regierung von Appellanten angelegte General-Arreſt, weiln keine notificatio arreſti an die Unter-Gerichte in Großen-Jehna beſchehen/ dem von Appellaten/ Oerteln/ in ietztbemeldten Unter-Gerichten angelegten Arreſt, ſo ſpäter angeleget/ vorgehe/ oder nicht?

Ob nun gleich Carpzouius, *P. 1. Deciſ.* 64. *n.* 27. item *P. 1. C.* 29. *Def.* 23. et in *Proc. tit.* 21. *art.* 3. *n.* 75. *ſeqq.* welchem auch die Schöp-

Schöppen zu Leipzig apud B. Dn. Riuinum ad *O. P. S. tit.* 51. *Enunciat.* 22. *pag.* 1656. *ſeq.* beypflichten / die notificationem arreſti, in Cancellaria Regia et Electorali Saxonica impetrati, an dem Unter-Richter ad effectum prioritatis, erfordert / alſo / daß der Oerteliſche Arreſt dem Reichiſchen / ob omiſſam notificationem arreſti, ratione prioritatis, allerdings vorgehe / und dannenhero die Urthele erſter Inſtantz zu confirmiren / es das Anſehen gewinnen möchte;

Alldieweil aber dennoch die notificatio des iuris arreſti, und daß ſolche an die Unter-Obrigkeit ad conſequendam prioritatem eines in der Hochlöbl. Landes-Regierung angelegten General-Arreſts / nothwendig beſchehen müſſe / in keinem Lege gegründet / die Chur-Fürſtl. Sächß. Proceſſ-Ordnung auch *tit.* 51. §. Wann aber in Unſerer Cantzeley ꝛc. *uerſ.* Und gleichwohl den Unter-Gerichten ꝛc. auf welche Worte der Proceſſ-Ordnung Carpzo-

uius *cit. loc.* ſich fürnehmlich beruffen / nur davon handelt / daß die Notification an die Unter-Gerichte zu dem Ende ergehen ſolle / damit andere Gläubigere mit Verpfändung oder ſonſten aus Unwiſſenheit nicht benachtheiliget werden mögen / keineswegſes aber / daß die notificatio arreſti, in Cancellaria impetrati, ad effectum prioritatis an die Unter-Obrigkeit / neceſſario erfolgen müſſe / haben will / ſondern es gehet der von der Hochlöbl. Landes-Regierung angelegte Arreſt quaeſtionis ſecundum tempus petiti ſeu impoſiti arreſti, nach Ordnung der Zeit / vor / und brauchet es diesfalls keiner Notification.

So hat man die Urthele erſter Inſtantz zu reformiren kein Bedencken getragen. Pari modo contra Carpzouium, eiusdemque ſectatores, reſpondi, nomine Ordinis Vitembergenſis, ad interrogationem Carl Adam Schreyens / Schößers zu Goſeck / in Wilhelm Leyſers Concurs,

*M. Jan.*

*M. Jan.* 1718. Hactenus de illo argumento, cuius excutiendi occaſionem mihi dedit Nobiliſſimus Conſultiſſimuſque, ad quem nunc uenio, Candidatus noſter. Eſt ille THEODORVS GOTTLOB VIERHVFFIVS, Gubena Luſatus. Natus A. cIↄ Iↄc LXXXV. honeſtiſſimis Parentibus, patre quidem *Dieterico Vierhuffio*, Muſici chori Directore, et Scholae Gubenenſis Collega III, matre uero *Richtſteigia*, bonae mox indolis ſpem oſtendit. Inde, datus in diſciplinam *Rungiis*, *Muſaeiſque*, profecit in literis, quibus ad humanitatem informamur. Sic, tirocinio in patria poſito, commigrauit Gorlicium, ubi *Groſſeris*, *Hauſſiis*, *Hamannis*, *Heinckiis*, probitate commendatus ac diligentia, magnum politioris doctrinae fructum cepit. Hic duos, amplius, annos commoratus, A. cIↄ Iↄcc IX. Vitembergam ſe contulit, ut maiore iam cultu imbueretur. Quo ut uenit XVII. Calendas Maias, uiros, in omni genere doctiſſimos, ſui duces ſtudii delegit. Ex iis, qui tum

liberalis diſciplinae cultum tradebant, audiuit *VVichmannſhuſios*, *Schroeeros*, *Kirchmaieros*, alios, ut in Oriente ne hoſpes eſſet, atque ut philoſophandi ſcientia, Graecaque eruditione, praeclarius excoleretur. Sed, quicquid hic egit, illud omne compoſuit ad Theologiam, rectius accuratiusque tractandam. Quare, praeculto ſic ingenio, totum ſe ſe addixit ſacris. Hac mente publicas priuataſque Theologorum Celebratiſſimorum ſcholas, *Neumannianas*, *VVernſdorffianas*, *Chladenianas*, frequentauit. Exploratis diuinae ſapientiae fontibus, diſciplinae iunxit uſum, et concionibus ſacris operam dedit, eaque patriae diligentia probari coepit. Exinde, tempus inopiae ſubleuandae nactus, inſtitutioni iuuentutis cuiuſdam nobilis quinquennii ſpatium tribuit. Sed, lapſus ſpe capeſſendi muneris, et expectatione defatigatus, uidit, id ſibi reſtare demum, ut ipſam ſtudiorum rationem commutaret. Hoc Patroni ſuadebant, huc interior quidam inſtinctus impellebat. Itaque, A. cIↃ IↃcc XIX. regreſſus ad nos, iuris diſci-

plinae

plinae totum ſe ſe dedidit, aduocatis ſimul induſtriae adiumentis, quae in *VVernherianis*, *Menckenianis*, *Spenerianis*, *VVolfianis*, *Brendelianis*, aliisque commentationibus, optimis certe ac doctiſſimis, et inſignia habuit et paratiſſima. Sic, confecto noui operis curriculo, tantam Juriſprudentiae facultatem ſibi peperit, ut et de obtinendis cogitaret honoribus noſtris, et, editis priuatim doctrinae ſpeciminibus, iis omnino dignus iudicaretur. Supereſt, ut publica, et ſolenni, Diſputatione defungatur, qua oſtendit *Nepotem patris conferenda, niſi his auctus ſit, non conferentem.* Haec autem cum futuro die Jouis, praeſidio quidem Conſultiſſimi Ampliſſimique Viri, DN. GEBHARDI CHRISTIANI BASTINELLERI, *Digeſt. Vet. Prof. Publ. et Dicaſteriorum, quae hic ſunt, Aſſeſſoris*, habenda ſit, ad eam MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTOREM, Illuſtriſſimos Comites, Per-

Illuſtrem

Illuſtrem Lib. Baronem, et reliquos Academiae Proceres ac Ciues, ſic inuitamus, ut eis uiciſſim omnia, quae capimus, officia, nunquam deſutura, promittamus. P.P. Ipſo Die Purificationis Mariae Feſto, A. R. G. cIↄ Iↄcc XXI.

---

*VITEMBERGAE*
Literis Viduae GERDESIAE.

QK. 181. De Arresto generalia Cancellaria Saxon. Dresdensi impetranda
QK. 181
20
Ve 1939

# ORDINIS JCTORVM IN ACADEMIA VITEMBERGENSI H. T. DECANVS CHRISTOPHORVS HENRICVS DE BERGER

Comes Palatinus Caeſareus et Potentiſſimi Poloniarum Regis ac Electoris Saxoniae in Summo Prouocationum Senatu Conſiliarius itemque Anteceſſor

*LECTORI BENEVOLO*

S. P. D.

X 2313670
BIBLIOTHECA PONICKAVIANA
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-133286-p0017-8
DFG